

nuginosa mala. non bene. In Graeco est, *Facito ut eius genae, quae rosae colorem referunt, Lanuginosae sint, uti malum Cydoniacum.*

*Ibid. v. 29. Ἐλεφάντινος τεράχηνος]* Poterat legi, et quidem commode, Ἐλεφάντινον τεράχηνον, sed et subaudiri potest ἔσω.

*Ibid. v. 33. Διονυσίην τε νηδύν]* Hinc cuius facile ad intelligendum fuerit, quam remoti a cognitione melioris antiquitatis pictores illi sint, qui Bacchum γάστρωνά ventriosum, et doliarem (Plaut.) [Pseudol. 2, 2. 64.], fingunt.

*Ibid. v. 40. τὰ δ' ἦν ἀμείνω]* Quem tu videre vero velles, *Phaedria*, ait ille apud Terentium., Eun. 4, 4. 20. Caeterum per νῶτα intelligit a toto partem, illam scilicet, qua Ioui Ganymedes placebat.

*Ibid. v. 45. ἐς Σάμον]* Hoc satis notum est, Apollinem apud Samios in praecipua veneratione fuisse. Itaque hic locus ad commendationem Bathylli, si quis alius, in primis facit. Sed praefari veniam necesse habeo. id quod et facio, lector. Longiusculam enim ῥῆσιν huc transferam de statua Bathylli, prout ab Apuleio Florr. p. 350. f. Elmenh. fuit descripta. aliquod certe operae pretium futurum est. *Vel inde ante aram Bathylli statua a Polycrate tyranno dicata: qua nihil videor effectius cognovisse. quidam Pythagorae eam falso existimant. Adulescens est visenda pulchritudine, crinibus fronte parili separatum per malas revulsis, pone autem coma prolixior interlucentem cervicem scapularum finibus obumbrat. Cervix succi plena, malae uberes, genae teretes, ac modico mento facies: eique prorsus citharoedici status. Deam conspiciens, canenti similis, tunicam picturis variegatam deorsus ad pedes deiectus ipsos, Graecanico cingulo, chlamyda velat utrumque brachium adusque articulos palmarum. Cuetera decoris histrici dependent. Cithara baltheo caelato apta, strictim sustinetur. manus eius tenerae, procerula laeva distantibus digitis nervos molitur; dextera psallentis gestu suo pulsabulum citharae admouet, ceu parata percutere. Cum vox in cantico interquieuit, interim canticum videtur ore tereti semihiantibus in conatu labellis eliquare. Verum haec quidem statua esto cuiuspiam puberum, quem Polycrati tyranno dilectus Anacreon Teius amicitiae gratia cantillat.*